

**T**unc accedens p[etr]us ad eum dixit; Dne. quotiens peccauit in me frater meus. & dimittam ei usq; septies. Dicit illi ih[esu]s; non dico tibi usque septies. sed usq; septuagies septies;

**IDEO ASSIMILATUM EST REGNUM**

caelorum homini regi. qui uoluit rationem ponere cu[m] seruis suis; & cum cepisset rationem ponere. oblatu[s] est ei unus qui debebat decem milia talenta; cum autem non haberet unde redderet. iussit eum dominus uenundari & uxorem eius & filios. & omnia quae habebat & reddi. proci dens autem seruus ille. orabat eum dicens; patientiam habe in me. & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius. dimisit eum. & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille. inuenit unum de conseruis suis. qui debebat ei centum denarios; & tenens suffocabat eum dicens; redde quod debes. & proci dens conseruus eius. rogabat eum dicens; patientiam habe in me. & omnia reddam tibi. ille autem noluit. sed abiecit eum in carcerem. donec redderet & debitum; Videntes autem conserui eius quae fiebant. contristati sunt ualde; & uenerunt & narrauerunt domino sua omnia quae facta fuerant; Tunc uocauit illum dominus suus. & ait illi; serue nequam. omne debitum dimisi tibi. quomodo rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui. sicut & ego tu miseratus sum. Et iratus dominus eius. tradidit eum tor toribus. quoad usq; redderet & uniuersum debitum; sic & pater meus caelestis faciat uobis. si non remiseritis unusquisque fratri suo. de cordibus uestris; **E**t factum est cum consummasset ih[esu]s sermones istos. migravit a galilea. & uenit in fines iudaee trans iordanem; & secutae sunt eum turbae multae. & curauit eos ibi; Et accesserunt ad eum pharisei temptantes eum & dicentes; si licet homini dimittere uxorem suam. quacumque excusa. qui respondens ait eis;